

*bus speratis accipiatur: ) & quanta gloria beatorum , in vita altera , quam a Deo Patre , ut Filii ejus , hæreditatis beneficio consecuturi sint. Scilicet bonorum speratorum & post hanc vitam plene impetrandorum , primum ac præcipuum est intuitiva Dei visio. Itaque , scire in hac vita bona sperata , aut post hanc vitam expectanda ; scire opes gloriæ hæreditatis sanctorum ; idem esse existimat Keithus , atque in hac vita , vel ut anticipanda intueri essentiam divinam , prout post-hac intuenda erit. Nos autem non disputabimus hac vice ,anne μετωνυμία in vocabulo *spei* l. c. admittenda sit ? an vero proprie de ipsa spe fidelium , quod aliqua & qualis , quamque firma sit ? accipi debeat. Sed quia mentio fit opum gloriæ hæreditatis divinæ , quæ sanctis est destinata ; ad futuri seculi statum verba spectare , concedemus. Non tamen ideo firma est consequentia : Si fideles in hac vita cognoscunt , quæ sit affluentia & quis splendor bonorum vitæ æternæ : sequitur , quod in hac vita bonorum illorum formaliter reddantur participes , ac Deum intuitive jam tunc cognoscant. Imo ad hanc argumentationem , & si vel plures ex pluribus locis Scripturæ nequantur , paucis respondebit nostro loco S. Johannes , verbis supra citatis ex I. Epist. III, 2. Nondum apparuit , quid futuri simus : scimus autem , quod cum apparuerit , visuri eum simus , sicuti est &c. Nempe scimus , quod aliquando visuri simus Deum , sicuti est : & sic scimus , quæ sint opes gloriæ hæreditatis sanctorum. Interim jam nondum videmus eum , sicuti est. Hac ratione opes illæ nondum apparuerunt. Atque hæc de locis Scripturæ a Keitho objectis , dicta sufficiant.*

XXXVIII. Progrediemur ad *experientias* , quas ille *miltorum millium sanctorum in omni seculo adesse jactat*. Refert autem inter Sanctos illos , *Platonem & Plotinum* , aliasque Philosophos : refert *Apostolos* : refert *Patres Ecclesiæ* , ac recentiores quosdam *Theologiæ mysticæ Doctores* : denique vel ipsum *B. Lutherum nostrum*. Et in his adeo confidenter rem agit adversarius , ut nuda asseveratione contentus , fidem sibi habendam putet aut postulet.